

et vilia putat. Sed quam sint, qui ita agunt, iniqui, facile intelligi potest. Latinae et patriae linguae suum pretium est: sed suo cuique loco. Patria lingua quin sit ad vitam communem utilior, commoditatesque afferat, quacunque alia, maiores, eamque ob causam suus cuique nationi sermo debeat esse carissimus, nemo potest recte dubitare. Ad- do etiam hoc, si quis velit ciuibus suis quibuscunque prodesse, vt ad omnes reipublicae ordines, et vtrumque sexum, ex scriptis suis aliqua utilitas redundet, ei necessario esse patrium sermonem adhibendum: neque vitio verti his vernaculae linguae vsum posse, qui suis tantum ciuibus scribant: nisi vero quis etiam Graecis et Latinis vitio dare velit, quod suo potius sermone, quam peregrino, sint in hoc genere vsi. Latinae autem linguae summam esse utilitatem, neminemque eam hodie posse ignorare, qui verae eruditionis studiosus esse velit, id vero neminem quemquam seruo negare, aut dubitare arbitror: vt fortasse cum vmbriis et laruis pugnent, qui contra eius contemptores declamant, et hoc tantum agant, vt stultis et imperitis hominibus magnam eruditionis latinae opinionem de se iniiciant, magnique humaniorum literarum vindices et statores videantur; cum ipsi fortasse nihil neque pedestri oratione, neque ligata, scribere possint, in quo quicumquam sani coloris insit, aut quod ad veterum elegantiam aliqua ratione accedat. In  
huius